



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

443. An, & qualiter administrare poßit Episcopus post obtentas confirmationis suæ literas ante consecrationem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)



dit Lott. *cit.* q. 19. n. 35. Quinimò, si presentatus à patrono, declinatà auctoritate Ordinarii, qui posset illum instituire, curaret se institui à Papa, adhuc non intraturam hanc Constitutionem Julij 3. eò quòd deficiat ejus ratio, quæ fundatur in supposito mera gratiæ, cujusmodi non est institutio, quæ potius est de justitiâ, tradit Lott. n. 47. Unde etiam n. 50. ait, considerandum propterea in hoc puncto semper, an presentatus egeat gratiâ Apostolicâ necne, quæ ipsa videntur applicari posse electo, qui etsi ab inferiore Confirmatore confirmari possit, recurrit tamen ad Papam sine necessitate, & ab eo confirmationem accipit.

7. Porro hæc intelligenda, ubi ita beneficium vacat, ut alius nullus sit actu in possessione illius, illudque administret; in hoc enim casu iste possessor non potest propriâ auctoritate, nec licitè nec validè spoliari possessione suâ; adeoque opus ministerio & officio Judicis ad adipiscendam possessionem. Pih. n. 341. Lott. l. 1. q. 27. n. 26. Pass. n. 31. juxta dicta à nobis aliàs.

8. Quòd si tamen etiam ad executionem hujus possessionis requiratur aliqua conditio ( uti in *Extrav.* illa *injunctæ*, requiritur, ut confirmatus præter juramentum fidelitatis & obedientiæ non potest accipere corporalem possessionem, nisi impletâ illâ conditione, & ut possessionem pacificè sumat, sufficit exhibere literas authenticas, in quibus constet de illa conditione impleri. Pass. n. 29. Quin & licet per se loquendo, etiam ad capiendam possessionem pacificè confirmatus obtentis confirmationis suæ literis non egeat ministerio Judicis, aut alterius officialis pro missione in possessionem; si tamen talis esset consuetudo, vel leges speciales de non adeunda possessione auctoritate propriâ, vel etiam non administrandi validè aut licitè sine prævia installatione solenni, hæc leges & consuetudines observandæ erunt. Pass. n. 30. Lott. l. 1. q. 27. n. 25. Quemadmodum etiam si in ipsis literis confirmationis, institutionis &c. datur Judex executionis, qui confirmatum vel institutum mittat in possessionem, hæc litera servandæ, & non accipienda possessio propriâ auctoritate, sed confirmatus institutus mittendus in possessionem à Judice ad id præstandum delegato. Pass. n. 32. quem vide ibidem pluribus de hac missione in possessionem per delegatum, uti & Garc. p. 6. c. 2. à n. 17. uti & dicenda à nobis infra, ubi de possessione.

*Quæstio 443. An, & qualiter administrare possit Episcopus post obtentam confirmationis suæ literas ante consecrationem?*

**R**espondeo primò: Episcopus confirmatus, obtentis literis confirmationis suæ, potest ea omnia exercere, quæ sunt jurisdictionis episcopalis; non verò ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, seu consecrationem, sive jure divino, sive ecclesiastico requirunt, Pass. *de elect.* c. 33. n. 5. Pih. *ad tit. de elect.* n. 338. cum communi; juxta *c. inter corporalia. de translat. Episc.* & *c. transmissam. de elect.* & ibi DD. Per confirmationem enim canonicam electus acquirit jus in re, & perfectum quasi dominium in prælatura, contrahit conjugium cum Ecclesia quasi ratum, quod per electionem initiatum erat; & hinc conceditur ei plena administratio & potestas exercendi omnia, quæ sunt jurisdictionis Episcopalis, & non requirunt Ordinem seu characterem Episcopalem; hoc verò conjugium spiri-

tuale per consecrationem veluti consummatur; Pih. *loc. cit.* juxta *c. 2. & ult. de translat. Episc.* & *Gl. in c. transmissam. de elect. v. de talibus.* & *Abb. ibid.* n. 3. Unde, quod ait *Gl. in c. transmissam.* eateus Ecclesiam adhuc videri viduatam, quatenus Episcopus seu sponsus illius necdum est consecratus, intelligendum est respectu eorum, quæ sunt Ordinis. Lott. l. 1. q. 27. n. 10. ex Host. *in c. de multa. de præb.* n. 3. Unde jam

2. Respondeo ad primum & secundò: potest Episcopus ante consecrationem excommunicare, aliàsque censuras infligere, & ab ipsidem absolvere, etiam si ne quidem sacerdos sit, siquidem id jurisdictionis, non Ordinis est episcopalis; dum etiam Prælati non Episcopi, nec sacerdotes habentes jurisdictionem ecclesiasticam, id possunt; eademque est ratio in absolvendo, quæ in ligando; estque utrumque ejusdem potestatis, non tamen potest absolvere ab iis in foro interno penitentia. Pih. *loc. cit.* *in c. de multa. de præb.* n. 339. Pass. *loc. cit.*

3. Item potest cognoscere & judicare per se causas clericorum, etiam criminales, etiam principaliter, & non solum incidenter propositas in judicio. Laym. *in c. transmissam.* n. 2. Pih. *cit.* n. 339. citans Innoc. *in cit. c. n. 2. v. inquisitionis.* contra quosdam apud *Abb. in c. 1. de translat. Episc.* n. 9. admittentes, id eum tantum posse, ubi tales causæ incidenter proponuntur in judicio. Ratio est, tum quòd Episcopus etiam hujusmodi cognitionem criminales delegare possit alicui non habenti characterem seu consecrationem Episcopalem; tum quia quilibet Judex Ordinarius habens merum imperium ( quale Episcopus habet vi confirmationis, cum possit excommunicare, qui est actus meri imperij ) potest cognoscere causas criminales. Laym. Pih. *ll. cit.* per verba autem illa *c. transmissam: præter ea, quæ majoris inquisitionis discussionem exigunt, & ministerium consecrationis desiderant:* non tam excipit Papa has causas criminales, etsi ex inter arduas numerentur, quàm eas solum inquisitiones, quæ ad realem, actualem & solennem degradationem clericorum spectant; quippe quæ juxta *c. 2. de penis.* & Laym. *Th. mor.* l. 1. tr. 5. p. 3. c. 5. n. 4. Episcopalis consecrationis ministerium requirunt. Pih. *loc. cit.* Laym. *cit.* n. 2. fatente ipso *Abb. in cit. c. 2. de penis, in fine.* apud Pih. posse Episcopum confirmatum non consecraturum de criminibus, quæ non tendunt ad actualem degradationem, sed ad aliam penam, cognoscere. Quamvis alij velint, dicta verba *c. transmissam* intelligenda procedere juxta antiquos canones, & morem Ecclesie veteris, quando juxta *c. si autem.* & *c. ult. 15. q. 7.* causæ criminales sacerdotum & diaconorum cognosci non poterant à solo Episcopo; sed tantum in Cœpiscoporum convocato concilio, quos Episcopus convenientes pro majore auctoritate conservanda oportebat esse consecratos. Laym. & Pih. *ll. cit.* cum, ut Pih. Episcopus electus & confirmatus ante consecrationem non vocetur simpliciter Episcopus, sed cum addito electus.

4. Item potest Episcopus ante consecrationem punire, gratias & privilegia concedere, à vassallis juramenta recipere, beneficia conferre ( idem est de erigere ) in vestire, presentatos instituire, electos confirmare, jurisdictionem in foro externo ( imò & interno, ut addit Laym. dando alteri potestatem absolvendi à peccatis, etsi ipse Episcopus sacerdos non sit, quia hæc delegatio non est Ordinis. Pih. *loc. cit.* n. 334. ) delegare. Pih. *cit.* n. 338. Laym. *in cit.*



6. *transmissam*. n. 1. citans Sanch. l. 7. mor. c. 32. n. 67. Suar. l. 4. de LL. c. 4. n. 9. (ubi etiam cum D. Thom. in 4. d. 20. q. unic. a. 2. quaestione. 2. addit, quod & indulgentias concedere possit, cum tamen indulgentiarum concessio videatur actus maxime spiritualis inter omnes, qui jurisdictionis sunt) & gl. communiter receptam in *cit. c. transmissi. v. talibus*.

5. Item potest synodos celebrare, casus reservare, quæ sunt consecrationis, alijs Episcopis committere &c. Pass. *cit. n. 5. Pirh. n. 334*. Quæmodum etiam Capitulum sede vacante facultatem ordinandi suæ diæcesis clericos concedere potest.

6. His non obstante communi aliâ illâ regulâ: *quod quis per se facere non potest, neque per alios potest: sive quod alicui suo non licet nomine, nec aliens licebit. regula juris 67. in 6.* Nam istæ regulæ in iis solum locum habent, quæ commissarius vel mandatarius facit nomine alieno sine auctoritate comitentis; talia enim committi vel demandari nequeunt, nisi committens jus habeat per se illa faciendi; cum nemo plus juris in alterum transferre possit, quam ipse habeat. *regula 79. in 6.* Jam vero Ordines, ipsi sumque etiam Ordinem Episcopatus conferunt Episcopi commissarii, non potestate ordinis accepti ab Episcopo committente non consecrati; sed conferunt vi ordinis & consecrationis suæ. Et sic Episcopus ille committens non dat potestatem ordinandi, quam per se habet commissarius talis ante mandatum & delegationem; sed tantum dat seu committit illis jurisdictionem in non subditos, quæ necessaria est ad licitum exercitium ordinationis, & hæc jurisdictioni iis à non consecrato conferri potest. Ita ferè *Pirh. n. 334*.

7. E contra non potest Ordines, nec Sacramentum Confirmationis conferre, christina conficere, benedicere virgines, sacra vasa, altaria & templa consecrare. *Pirh. loc. cit. citans gl. ubi ante*. Quod autem addit, quod nequeat deponere & degradare clericos, verum non est, si per deponere & degradare intelligat privare beneficijs & officijs, quia hoc est jurisdictionis; secus fortè, si intelligat actualem & solennem degradationem, quæ factâ, clericus tradatur potestati seculari.

*Questio 444 An. & quid speciale sit in hoc puncto circa Archiepiscopos?*

1. **R**espondeo primò in genere: Archiepiscopus confirmatus, etiam consecratus, ante acceptum à sede Apostolica pallium non omnia, quæ ad Archiepiscopum spectant, exercere potest, cum ante illud non obtineat officij Archiepiscopalis plenitudinem. *c. nisi. de auctoritate & usu pallij. Laym. ibid. n. 1.*

2. Respondeo secundò magis in specie: quantum spectat ad actus jurisdictionis, actus majores exercere nequit ante acceptum pallium, v. g. convocare Concilium provinciale. *Pirh. loc. cit. n. 333. Laym. loc. cit. juxta c. quod sicut. de elect. §. prater ea, quo etiam spectat Provinciam visitare. Pirh. loc. cit. cum Gl. in cit. c. quod sicut. v. sine pallio.* Secus est de alijs actibus inferioribus jurisdictionis; hos enim ante acceptum pallium potest exercere, v. g. causas cognoscere, delegare, Judices constituere, committere potestatem ordinandi, vel etiam consecrandi Episcopos, argumento *c. suffraganeis, de electione. Laym. loc. cit. Pirh. n. 334.*

3. Quantum spectat ad actus Ordinis Episcopalis, actus qui inter missarum solemnias, aut saltem cum Episcopalibus ornamentis peraguntur v. g.

ordinare, christina conficere, consecrare Ecclesias, exercere nequit juxta expressum textum *cit. c. quod sicut*; eò quod talia facere videatur non tanquam simplex Episcopus, sed tanquam Archiepiscopus. *Laym. loc. cit. Pirh. n. 333. juncto n. 335.* ubi etiam ait; similiter eum non posse ante acceptum pallium conferre Sacramentum Confirmationis, benedicere Abbates & virgines. Actus verò Ordinis, quos solâ stolâ indutus Archiepiscopus facere solet, ut sunt vasa sacra consecrare, corporalia vel camiteria benedicere, ea licitè exercere potest ante pallium acceptum. *Laym. loc. cit. Pirh. n. 335.* citans *Hofst. in sum. de usu pallij. n. 1. Azor. p. 2. l. 3. c. 33. q. 5.* Porro, si Archiepiscopus consecratus antè acceptum Pallium ea exercent, quæ illi prohibita, validè quidem exercet, sed peccat contra canones, puniri que potest, vel amotione ab officio, vel aliâ mitiore poenâ. *Pirh. cit. n. 25. citans Azor. ubi ante.*

*Questio 445. An. & quæ Abbates ante benedictionem administrare possint?*

1. **R**espondeo primò: potest Abbas post confirmationem ante benedictionem exercere ea omnia, quæ ad jurisdictionem spectant. *Pirh. ad tit. de elect. n. 402. Tamb. de jure Abb. To. 1. d. 11. q. 3. n. 2. juxta c. transmissam. de elect. Eademque quo ad hoc est ratio de Abbate confirmato non benedicto, quæ de Episcopo confirmato nondum consecrato; nempe quod per confirmationem accipiat potestatem jurisdictionis & administrationis. AA. ijdem *ll. cit. Lott. l. 1. q. 27. n. 24.* Multòque magis hæc ratio locum habet in Abbate, quam Episcopo, dum electus & confirmatus in Episcopum dici adhuc nequeat Episcopus, nisi consecratus, ut *Zabarell. in c. eam re. de rescrip. n. 1.* cum necdum intelligatur inter ipsum & Ecclesiam consolidatum matrimonium spirituale (unde & adhuc liberè resignare potest, & per acceptationem incompatibilis inducitur illa resignatio. *Lott. loc. cit. n. 17. citans eundem Cardinal. in clem. gratia. de rescrip. n. 9. & Præposit. in c. 1. d. 23. col. 3.*) sed solum dicitur electus, etiam si confirmatus. Electus verò & confirmatus in Abbatem illico Abbas est & dicitur. *Lott. loc. cit. n. 13. juncto n. 16. & 18. Tamb. loc. cit. q. 5. n. 1.* ubi quod Abbates constituantur in suo munere, non per benedictionem, sed per electionem & confirmationem. Argumento *c. 1. de suppl. negl. pral. & ibi communiter AA. citat pro hoc Jo. And. in c. inter monasterium. de sent. & re judic. n. 6. Felin. ibid. n. 1. Old. conf. 14. col. 2.* (qui etiam dicat, de stylo etiam Cancellaria electum & confirmatum vocari Abbatem) *Barbof. ad cit. c. inter monast. n. 6. contra Hofst. in c. tuam. de stat. & qualitat. n. 7.* Limitandum hoc ipsum ita, ut dum benedictio hæc vim habet confirmationis (uti quandoque contingit, dum nullâ aliâ confirmatione præcedente Episcopi aliter Abbates & Præpositos non confirmant, quam impetiendo illis solennem hanc benedictionem) adeoque per eam confertur potestas jurisdictionis, ante eam administrare nec debent, nec possunt Abbates aut Præpositi electi. *Pirh. loc. cit. n. 402. in fine. citans Sylv. v. Abbas n. 4. ac dicens, de hac confirmatione loqui Innoc. in c. 1. de suppl. negl. Pralat. n. 1.**

2. Respondeo secundò: administrare tamè seu exercere quæ sunt Ordinis (quales actus Ordinis dignitati Abbatiali cõcessi sunt Ordines minores cõferre, solenniter populo benedicere, vasa sacra & vestes benedicere, & alia pontificalia exercere) non posse